

sterio juris etiam proprium jus percipiendi fructus præbendæ. Hinc compensatio locum habere non potest. Utrumque enim beneficium totum in suo esse transfertur tamquam quid unum resultans simul ex duobus elementis, officio nempe sacro et jure percipiendi fructus. Accedit quod possessor beneficii non est dominus, et proprietarius bonorum beneficii sui. Hinc non potest duplex celebrari conventio, una de juribus spiritualibus, altera de rebus temporalibus, quia neuter ex clericis permutantibus potest disponere de bonis, et juribus sui beneficii. At duplex fieri potest conventio in prima specie, in qua bona pertinere supponuntur ad monasterium et in genere ad corpus morale. Insuper notandum est neque ex Episcopi auctoritate separationem pinguioris præbendæ fieri posse ob legem generalem in rubrica *tit. XII. Ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur*. Hinc ad compensationem faciendam in nostra hypothese auctoritate Pontificis opus est, qui separet portionem fructuum a beneficio majori, et eam concedat possessori alterius beneficii ad ejus vitam.

8. Animadvertimus tandem permutationem fieri non posse de beneficiis reservatis S. Sedi: quia secus facile eludi posset jus collationis ejusdem. Fieri permutatio potest de aliis beneficiis: nec ullo modo retardari aut impediri potest a gratiis expectativis quæ forte in aliqua Ecclesia alicui, vel aliquibus clericis concessa fuerint, dummodo permutatio non fiat in fraudem Pontificiæ concessionis *c. un. h. t. in 6.*

#### TITULUS XX.

### De feudis.

1. Feudum a fide, seu fidelitate definiri potest 'contractus consensualis, bonæ fidei quo alicui conceditur res immobilis cum translatione domini utilis, retenta proprietate sub onere præstandi fidelitatem, et obsequium personale'. Hæc definitio exprimit contractum quo fit concessio feudalis; nomine vero feudi venit etiam ipsa res immobilis quæ in feudum conceditur.

2. Qualitas specifica hujus contractus in eo consistit ut fidelitas præstetur, et obsequium. Scilicet feudatarius qui etiam vassallus dicitur, tenetur fidem servare domino feudi ita ut nihil machinetur contra ipsum, sed ipsum consilio, et auxilio juvare teneatur. Propterea regulariter feudatarius præstare debet in ipsa

investitura feudi juramentum fidelitatis. Item tenetur feudatarius ad præstanda domino servitia honesta quæ veniunt sub nomine obsequii. Hæc vero determinantur vel ex lege institutionis feudi vel ex consuetudine locorum.

3. Porro quamvis feudorum concessio fuerit juris civilis, tamen etiam Ecclesia processu temporis hanc concessionem fecit suam. Quapropter feuda alia sunt laicalia, alia ecclesiastica. Alia sunt personalia, alia familiæ, quæ nempe constituuntur ita ut feudum transeat ad hæredes, et successores in linea determinata ex. gr. ad descendentes masculos ex masculis.

4. Ecclesia potest bona sua in feudum concedere. At cum contractus hujusmodi referat indolem contractus emphyteutici eadem requiruntur solemnitates quæ in emphyteusi necessariae sunt. Hinc etiam bona quæ solita fuerunt concedi in feudum si finita feudali obligatione redierint ad Ecclesiam, poterunt absque solemnitatibus juris ab Episcopo iterum concedi in feudum ex justa causa. At si redierit feudum ex fraude possessoris, qui illud alienaverit, Episcopus investire debet vel filium alienantis, vel consanguineum ejus *c. 2. h. t.* Feuda ecclesiastica fere disparuisse dicenda sunt.

#### TITULUS XXI.

### De pignoribus et aliis cautionibus.

1. Cum de rebus Ecclesiæ actum fuerit, et de contractibus qui circa easdem res perfici possunt, superioribus titulis subnectitur præsens, qui est de cautionibus quæ faveant securitati contractuum eorundem.

Pignus prout est contractus definitur: 'Conventio qua res aliqua vel datur, vel obligatur in securitatem crediti'. Quare in hac conventionem præsupponitur alius contractus vel aliud negotium in cujus subsidium et securitatem traditur pignus. Hinc cessante priore contractu, vel negotio etiam pignus cesset oportet. Aliquando nomine pignoris intelligitur res quæ obligatur in securitatem crediti.

2. Pignori affinis est hypotheca, quæ nihil aliud est quam jus reale competens creditori super re aliena in securitatem crediti sui. Pignus in eo differt ab hypotheca, ut pignus regulariter consistat in re mobili nec semovente; quæ regulariter creditori traditur: hypotheca vero consistit in re immobili, quæque penes de-

bitorem permanet. At censetur veluti ab eadem re separata iuridice pars valoris quæ creditoris est in securitatem crediti sui. Quare in *l. 9. § 2. ff. De pignorat.* legitur: 'Proprie pignus dicitur, quod ad creditorem transit, hypothecam, cum non transit nec possessio ad creditorem'.

3. Præcipua divisio pignoris et hypothecæ est inter pignus et hypothecam expressam, et pignus et hypothecam tacitam. Expressum pignus, vel expressa hypotheca locum habet cum eorum constitutio efficitur vel ex partium conventionem, vel voluntate testatoris vel ex sententia iudicis. Tacitum pignus, vel tacita hypotheca locum habet, cum jus pignoris, vel hypothecæ ab ipsa lege inducitur, ita ut valeat etiam contra invitum dominum rei. Pignus et hypotheca huiusmodi dicuntur pignus legale, hypotheca legalis. Sic ex. gr. si vir dotem ab uxore recipiet, ipso jure ejus bona obligantur vinculo hypothecario in securitatem acceptæ dotis *c. 5. h. t.* Sic etiam Ecclesiæ, vel collegia habent tacitam hypothecam in bonis prælati, vel alterius administratoris.

4. In genere res omnes quæ vendi, seu alienari possunt, pignori, et hypothecæ subjici queunt. Quid vero de rebus ad Ecclesiam pertinentibus? In *cap. 1. h. t.* prohibetur oppignatio rerum sacrarum Ecclesiæ, nisi ex urgente necessitate. Hinc in genere ex sensu contrario non est interdicta oppignatio rerum non sacrarum ad Ecclesiam pertinentium legitima interveniente causa. At causa huiusmodi non esse potest commodum, et utilitas personalis ipsius prælati vel rectoris, sed Ecclesiæ. Insuper cum oppignatio seu obligatio hypothecæ sit species alienationis *c. 5. De Reb. eccl. alien. vel non.* et *Const. Ambitosæ inter Extrav. com. eod. tit.* hinc neutra legitime perfici potest, nisi solemnitatibus juris adhibitis, de quibus in cit. titulo.

5. Quæritur: Quænam est obligatio creditoris qui pignus accepit? Cum contractus pignoris sit unilateralis, conficiatur nempe in commodum creditoris pro securitate crediti, hinc creditor tenetur rem custodire diligenter. Tenetur proinde præstare etiam culpam levem. Immo *arg. l. si ut certe § interdum ff. Commodati etc.* tenetur etiam culpam levissimam. Reiffenst. *De Commodato n. 28.* Insuper creditor non potest uti re oppignerata absque consensu domini saltem prudenter præsumpto, et rem ipsam soluto debito restituere debet cum omnibus accessionibus.

6. Immo si res frugifera sit, restituendi sunt etiam fructus, solis deductis expensis factis pro re conservanda fructibusque percipiendis *l. 16. ff. h. t. et c. 1. et 2. De Usuris et c. 6. h. t.* ubi dicitur 'Cum secundum canonicam sanctionem fructus restitui et in sortem debeant computari'. Ratio est quia pignus non pro fructibus crediti, sed pro securitate crediti constituitur. Cui etiam accedit ratio deducta ex principio juridico 'Quælibet res domino fructificat'.

7. Excipiuntur nonnulli casus. 1º. Ex *cap. 1. De Feudis* non tenetur dominus feudi in sortem computare fructus feudi quod feudatarius in pignus dedit eidem domino, dummodo dominus non exigat obsequia, et honesta servitia. Nam ideo usus fructus seu dominium utile feudatario conceditur ut præstet hæc honesta servitia. Quæ dispositio confirmatur ex *c. 1. De usuris.* 2º. Si viro res frugifera data fuerit a patre uxoris in pignus pro securitate dotis. Nam cum dos in jure sit natura sua fructifera eo quod datur ad sustentanda onera matrimonii, hinc fructus pignoris censentur esse fructus dotis. *c. 16. De Usuris.* 3º. Si clericus facit suos fructus rei oppigneratæ quæ pertineat ad suum beneficium, quod per injuriam fuerit a laico etiam patrono occupatum *c. 1. de usuris.*

8. Quæritur an pignoris contractui possit adjici pactum anti-chriseos?

Pactum huiusmodi in eo consistit, ut creditor usum fructum rei oppigneratæ habeat quoadusque debitum non fuerit solutum: scilicet percipiat fructus rei qui in restitutione ejusdem rei non sint computandi in sortem debiti. Pactum huiusmodi non probatur, quia quidquid ultra sortem in credito perciperetur, usuram sapit, atqui fructus sunt ultra sortem. Hinc in *c. 6. h. t.* traditur absolute fructus perceptos a creditore computandos esse in sortem debiti, nec ulla fit distinctio an pactum intercesserit, vel non. At in tribus casibus supra expositis, vel si justus titulus extrinsecus verificetur ex lucro cessante, aut ex damno emergente creditoris, potest creditor percipere fructus rei oppigneratæ.

9. Quæritur an eidem contractui possit adjici pactum legis commissoriæ? Scilicet pactum quo creditor, et debitor conveniant ut nisi intra certum tempus debitor restituat sortem, res oppignerata transeat in plenum dominium creditoris in crediti sui solutionem.

Pactum hujusmodi in *c. 7. h. t.* rejicitur tamquam feneraticium, quia pactum hoc solet adjici ab usurariis in eum finem ut rem oppigneratam faciant suam quæ res ordinarie major est quam sit valor et æstimatio crediti, ac proinde pactum legis commissoriæ continet palliatam usuram. At valet pactum hujusmodi, sive quando res æquivalet debito, vel si majoris sit æstimationis; valet pactum quoties partes convenient rem utique post elapsum tempus determinatum fore creditoris, at sub ea lege ut restituat debitori excessum pretii supra proprium creditum. *c. 16. ff. De Pignorib. § ult.*

10. Cæterum creditor jus habet distrahendi pignus postquam debitor constitutus sit in mora solvendi: qui creditor insuper habet jus prælationis in casu quo debitor vel bonis cedat, vel ære alieno ultra vires gravatus demoriatur. Potest insuper creditor præscribere jus pignoris si cum bona fide pignus possideat tempore longissimo, vel etiam tempore longo cum justo titulo. At dominium rei præscribere non potest, quia numquam eam rem possidere potest animo domini sed semper precario rem possidet.

11. Breviter de secunda parte tituli, quæ est de aliis cautionibus.

Pignus est in securitatem crediti: hinc est species cautionis. Cautio est securitas, quæ alteri præstatur pro certa solutione debiti, vel juris observantia. Cautio est vel simplex, vel idonea, vel juratoria. Simplex cautio idem est ac nuda promissio. Cautio idonea quæ etiam dicitur sufficiens ea est quæ præstatur vel per pignus, et pignoratitia appellatur, vel per fidejussorem et dicitur cautio satisdatoria, satisdatio, fidejussio.

12. Juratoria cautio est quæ datur præstito juramento. Præstatur vero juramentum vel ad partis instantiam vel ministerio judicis in defectu cautionis idoneæ.

#### TITULUS XXII.

### De fidejussoribus.

1. Fidejussio est 'contractus quo quis manente obligatione debitoris, promittit se soluturum, vel satisfacturum id quod solvere, vel satisfacere tenetur debitor principalis'. Ex qua definitione patet, fidejussorem non destruere obligationem debitoris, sed fide sua accedere in securitatem obligationis ejusdem, ac veluti jubere ut

credatur debitori. Quare fidejussor distinguitur ab expromissore, qui acceptante creditore obligationem in se suscipit, et ipsum liberat debitorem.

2. Dividitur fidejussio 1<sup>o</sup> in necessariam et in voluntariam. Necessaria quæ exigitur a lege vel judice *l. 13. ff. usufr.* voluntaria quæ sponte præstatur. 2<sup>o</sup>. Alia est principalis, alia secundaria prout vel accedit ipsius debitoris obligationi, vel alterius prioris fidejussoris obligationem confirmat. Aliis omissis, alia est simplex, alia solidalis. Simpliciter quis fide jubet quando accedit alterius obligationi in subsidium illius; ita ut fidejussor sit debitor minus principalis. Quare non potest actione percelli a creditore nisi cum excusso prius debitore principali creditor vel in toto, vel in parte proprium jus assecutus non fuerit. Hinc fidejussor, qui simpliciter fide jussit dicitur habere beneficium excussionis. In solidum vero cavet fidejussor, cum sese constituit debitorem æque principaliter cum primo, et vero debitore. Quo in casu fidejussor non gaudet beneficio excussionis scilicet creditor potest ad jus suum assequendum persequi vel debitorem singillatim vel fidejussorem solum, vel utrumque simul.

3. Ex jure civili romano fide jubere non possunt pupilli absque tutoris auctoritate, minores absque consensu curatoris, mulieres ex celebri Senatus Consulto Vellejano, nisi adhibitis solemnitatibus juris. Clerici de bonis propriis possunt fide jubere: at ne sæcularibus negotiis nimium misceantur prohibentur, frequenter, et sine causa aliorum obligationes in se suscipere. *Rubr. tit. Ne Clerici, vel Monachi.*

In bonis vero patrimonialibus, quæ titulum ordinationis constituunt, fide jubere clerici non possunt. Possunt vero fructus horum bonorum obligare; deduci autem debet prius quidquid est necessarium pro eorundem honesta sustentatione, ne victum mendicare cogantur in dedecus status clericalis. Quoad vero beneficii bona Doctores cum Abbate in *c. 1. h. t.* tradunt clericum quidem posse fide jubere de fructibus beneficii sui, qui transeunt in ejus dominium, idest de illis fructibus qui transeunt in peculium parimoniale, non vero fide jubere posse de ipsis bonis aut fructibus superfluis, quos uti videbimus in tit. *De peculio clericorum* impendere debet in pios usus. Ad rem facit *c. 2. De Solution.* ubi absolute prohibetur clericus Ecclesiam suam pro alienis debitis gravare. Sed doctores excipiunt casum necessitatis, et pietatis pro

egeno, nec non casum quo pro alia causa pia fidejussio fieri debeat, quia uti innuebamus clericus in usus pios impendere debet fructus superfluos beneficii sui. A fortiori ergo potest eosdem fructus fide jubendo obligare pro pauperibus ex necessitate aut pro aliqua causa pia. At si fidejussio fiat de ipsis bonis, requiritur solemnitas juris quæ pro alienationibus necessaria est.

4. Prælati juxta *cit. c. 2. De Solut.* non potest fide jubere de bonis mensæ vel Ecclesiæ suæ, nisi id faciat in utilitatem ipsius mensæ vel Ecclesiæ, et servatis solemnitatibus quæ in alienationibus rerum Ecclesiasticarum requiruntur.

Religiosi, qui possessioni legitimæ renunciarunt non possunt fide jubere, nisi ex consensu prælati et capituli monasterii, et fidejussio debet esse non in commodum individuale ipsius prælati, aut religiosi sed Ecclesiæ vel monasterii *c. 4. h. t.*

5. Obligatio fidejussoris est relativa obligationi debitoris principalis. Hinc non plus obligatur quam sit obligatus debitor principalis. *l. 8. § 7. ff. h. t.* Quare si ex facto ex. gr. ex remissione creditoris contingat liberari debitorem, eo ipso eximitur etiam fidejussor ab obligatione sua etiam solidali.

6. Tria vero beneficia jus concedit fidejussori: scilicet excussionis, divisionis et cedendarum actionum. Primum beneficium de quo jam superius innuimus est ut si fidejussor actione percellatur a creditore, jure exigere possit ut antea excutiatur debitor principalis. Quod beneficium non competit fidejussioni solidali, nec a simplici fidejussore potest invocari, si notorie constet debitorem principalem solvere non posse. Secundum beneficium est divisionis quo scilicet si plures simul fidejusserint, et unus pulsetur ad totum solvendum debitum, hic potest exigere ut etiam alii pro eorum rata portione in jus vocentur. Tertium beneficium est ut fidejussor qui solvit, possit etiam judicialiter cogere creditorem ut sibi cedat omnes actiones, et eorum titulos, et instrumenta creditum respicientia tum contra debitorem principalem tum contra alios confidejussores, si adsint.

7. Quæritur utrum nondum facta solutione debiti possit fidejussor liberari ab onere fidejussionis?

In genere non potest quia obligatio fidejussoris est subsidiaria, et proinde perseverat quoadusque non defecerit obligatio principalis. Hinc transit etiam ad hæredes ejusdem fidejussoris. At in *cap. ult. h. t. Greg. IX.* tres casus adsignat in quibus fidejussor

potest petere liberationem etiam judicialiter a fidejussione, et debitor præstare tenetur etiam nondum soluta principali obligatione. Primus casus est si debitor nimium differat debiti solutionem. Non enim fidejussor præsumitur se voluisse obligare in perpetuum. Quænam vero sit mora necessaria ad concedendam liberationem fidejussori iudex decernet. 2º. Si debitor dissipare incipiat bona patrimonii sui. 3º. Si fidejussor condemnetur ex sententia iudicis ad debitum solvendum, potest etiam ante debiti solutionem statim agere contra debitorem principalem, ut debitor eum liberet a molestiis seu a fidejussione. Obtenta liberatione cessat fidejussio quemadmodum etiam finitur fidejussio 1º. si novatio obligationis efficiatur inter debitorem principalem et creditorem, inconsulto fidejussore. Ex. gr. si quæ debebat ex mutuo incipiat debere ex conductione, vel ex empto. 2º. Si in contractu tempus vel conditio apposita fuerit ad finiendam obligationem fidejussoris, ita ut scilicet aliquis fidejusserit solummodo ad certum tempus vel quoadusque non fuerit verificata aliqua conditio. Si vero creditori, inconsulto fidejussore, prorogare placuerit diem solutionis debiti, non amplius tenebitur fidejussor in securitatem debiti, cui obligatione sua accesserat.

## TITULUS XXIII.

## De solutionibus.

1. Si fidejussio securitatem creditori procurat, solutio plene ejus juri satisfacit ac debitum extinguit. Solutio definitur 'Idonea præstatio debiti tempore, et loco conveniente legitime facta'. Definitio hæc exhibet veram debiti extinctionem, quæ non haberetur si præstatio non esset idonea, nempe si esset incompleta, vel non fieret loco, et tempore conveniente; nam facta solutione debiti principalis, adhuc reddi deberet indemnitas creditor pro expensis vel incommodis, quæ exinde eidem obvenissent.

2. Si quærat quoniam solvere teneatur, in genere respondendum est, teneri eum qui debitor est, seu quicumque obligatur nulla facta distinctione status clericalis, vel laicalis et sexus: agitur enim de materia justitiæ, quæ clamat, unicuique suum esse reddendum.

3. Hinc etiam clerici suis, et Ecclesiarum oneribus satisfacere debent. Quid vero si prælatus, vel rector Ecclesiæ vel beneficii